UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Deipara ad Iustorum salutem multipliciter cooperatur, n. 8

urn:nbn:de:hbz:466:1-46853

Visual Library

Ad B. Virginem confugiendũ.

7. Verùm, vt tam pretioſi legati nobis à Chriſto relicti, vberem fructum capiamus, obuoluamur & nos hoc ſacro Virginis pallio, ſub quo, vt cap. 24 dicebamus, quamplurimi, tanquam in portu tutiſſimo ſtationem faciunt; ad eam ſupplices accurramus, dicentes cum Eccleſia: *Sub tuum præſidium confugimus ſancta Dei genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus; ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa, & benedicta*: caueamuſque ne emolumentum quod ex Virginis patrocinio conſequi poſſumus ampliſſimum, noſtra deſidia amittamus. neque enim exiguæ confuſionis rei erunt ij, qui tantum Chriſti beneficium paruifecerint. nam & Dominus Iudæis inter alia beneficia quibus ſe ingratos exhibuerunt, illud exprobrat Micheæ 6. *Quod miſerit ante faciem eorum Moyſen, Aaron, & Mariam*, quæ verba enarrans Hieronymus in ſuis commentariis in Michæam, de Chriſto, & Deipara interpretatur, *Audiamus*: inquit, *cum peccauerimus aduerſus nos diſputantem Deum, & in nos beneficiorum ſuorum magnitudinem arguentem, mittit Moyſem ſpiritualem legem, & Aaron magnum ſacerdotem, non typicum Ephod, veritatemq; portantem, ſed ſignaculum ſanctitatis in fronte habentem, quod Deus Pater ſignauit, mittit & MARIAM vaticinium Prophetarum*. hæc Hieronymus. Quare iuxta hunc Hieronymi ſenſum, vt in præſentia taceam eorum ſocordiam, & nequitiam omni ſupplicio dignam, qui Chriſti beneficium nec agnoſcunt, nec recipiunt, (quid grauiter Apoſtolus ad Hebr. 10. expendit comparatione facta cum pœnis tranſgreſſoribus Moſaicæ legis inflictis) quanto putamus maiori, quàm veteres illos Iudæos reprehenſione, ac pœna dignos eos, qui in lege gratiæ Mariæ Deiparæ beneficio vti neglexerint, quam Maria ſoror Moyſi adumbrabat, quamque Deus ſingulari benignitate præter Chriſtũ nobis in hoc deſerto, ad terram promiſſionis cœleſtem contendentibus dedit in matrem?

Mich. 6.

Hieronym.

Hebr. 10.

DEIPARA AD IVSTORVM SALVTEM
multipliciter eſt cooperata.

Tertiò, quia B. Virgo multis modis ſalutẽ ho-

8. TErtium caput erat, quoniam ſanctiſſima Virgo præter id, quod omnibus contulit Chriſtum gignendo (qua ratione ad ſalutem noſtram, vt cap. 17. dixi ſuo modo peculiariter cooperata eſt) adhuc ad ſalutem noſtram, & ut adoptionem filiorum Dei adipiſcamur, multis rationibus, nimirum ſuis efficaciſſimis precibus; meritis, doctrina, exemplis, & miraculis, quæ ab ea iugiter & vbertim in Eccleſia promanant, ita cooperatur, ut in Chriſto meritò nos gignere dicatur: nam & auxilia ad deleréda peccata, & ad proficiendũ in via Dei nobis imperat, vires dæmonis eiuſq; contra nos cõatus retundit ac cõprimit; miſeris opitulatur, omnibus noſtris neceſſitatibus, tum corporis, tum animæ præſto eſſe, & vt cœli Regina opem ſuam nobis impertiri dignatur.

minum iuuat.

Quòd autem propter hoc meritò mater noſtra dici poſſit, hac ratione demonſtratur; Apoſtolus enim quos ad fidei veritatem ſua prædicatione perduxerat, filios iure appellat. 1. Corinth. 4. *Vt filios*, inquit, *meos chariſſimos moneo, nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos Patres, nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui*, & Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis* & ad Philemonem, *Obſecrò te pro filio meo Oneſimo, quem genui in vinculis*. Sed Virgo Deipara ad omnium ſalutem, peculiari ratione cooperatur, ergo meritò mater omnium dici poteſt. Quod autem omnibus ad ſalutem conſequendam multis modis auxilietur præter ea, quæ plenius dixi cap. 16. quòd mater ſit miſericordiæ, & c. 17. quomodo ad omnium ſalutem ſit cooperata, probatur tum auctoritate, tum etiam ratione. Auguſtinus libro de ſancta virginitate cap. 6. loquens de Deipara: *Hæc*, inquit, *mater Spiritu eſt membrorum Saluatoris, quia cooperata eſt charitate, ut fideles in Eccleſia naſcerentur*. Anſelmus de excel. Virg. cap. 11. *Beata*, inquit, *Dei genitrix ſuis meritis cuncta reparando mater eſt, & Domina rerum*. S. Bernardinus Senenſis tomo 3. ſerm. 6. art. 2. cap. 2. *Virgo* inquit. *per conſenſum in Incarnationem omnium electorum ſalutem viſceroſiſſimè expetiit, & procurauit, & ex tunc in ſuis viſceribus omnes baiulauit, tanquam veriſſima mater filios ſuos*. ita S. Bernardinus. Et in S. Brigittæ reuelationibus lib. 4. cap. 138. *Ipſa Virgo*, ut fuſius capit ſuper retulimus, *dicebat ſe nedum iuſtorum; ſed etiam peccatorum, qui ad bonam frugem recipere ſe volunt matrem eſſe, eiſque opem ferre*.

Apoſtolus fideles à ſe conuerſos vocat filios.

1. Cor. 4.

Galat. 4.

Ad Philemonem.

Auguſtin.

Anſelmus.

S. Bernar.

S. Brigitta

S. Franciſcus teſte S. Bonauentura in eius vita cap. 6. eos, qui exemplo, & precibus aliorum conuertuntur, filios eorundem appellabat,

Vita S. Franciſci

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

pellabat: verba S. Bonauenturæ hæc ſunt: *Præferendum concionatori vano dicebat S. Franciſcus, fratrem ſimplicem, & elinguem, qui bono exemplo alios prouocat ad bonum; illud quoq; verbum: donec ſterilis peperit plurimos, taliter exponebat. Sterilis, inquit, eſt frater pauperculus, qui generandi in Eccleſia filios non habet officium; hic pariet in iudicio plurimos, quia quos nunc priuatis orationibus conuertit ad Chriſtum, ſua gloria tunc Iudex aſcribet.* hæc Bonauentura. *1. Reg. 2.*

9. Quæ cùm ita ſint, quid dicendum de Virgine ſanctiſſima, cuius vita inclyta ſuis exemplis cunctas illuſtrat Eccleſias, quæ ex Bernardo hom. 2 ſuper miſſus eſt; veluti præclara, & eximia ſtella ſupra hoc mare magnum, & ſpacioſum neceſſariò eſt ſubleuata, micans meritis, illuſtrans exemplis: cuius precibus omnes ita fouentur, vt non ſit qui ſe abſcondat à calore eius. & ſicut Chriſtus eſt totius Eccleſiæ caput, vnde virtus tota in vniuerſum corpus diffunditur, non ſecus ac vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron, & in oram veſtimenti eius. Item omnium eſt Redemptor, & mediator Dei, & hominum ad ſatisfaciendum pro omnium peccatis, & apud Patrem noſter aduocatus, ita Virgo eſt collum, per quod, vt ait S. Bernardinus tomo 1. conc. 61. art. 2. capit. 10. ad nos Dei dona transfunduntur, quam Bernardus ideò vocat Aquæductum: & per quam eius deuoti famuli preces, & vota ad Chriſtum dirigunt, & eſt omnium Genitrix, & per ſuas preces apud filium omnium eſt Mediatrix, reconciliatrix, & Aduocata. qua de re copioſè dicemus capit. 30.

Bernard. *Pſal. 132.* *B. Virgo eſt collum ſub Chriſti capite.* *S. Bernar.* *Cap. 30.*

Cæterùm Virgo ſanctiſſima non tantum ſuæ vitæ exemplis admirabilibus, Meritis præclariſſimis, & Precibus apud filium efficaciſſimis, ſed etiam ſuæ doctrinæ ſplendore vniuerſis in ſalutis ſpiritualis negotio opitulatur. Quocirca ſupra cap. 19. demonſtrauimus, eam Doctorum aureolam meritò conſecutam, & ipſam Magiſtram fuiſſe Magiſtrorum, id eſt, Apoſtolorum, & Propheti ſſam, ac Euangeliſtam appellari ex ſententia Ruperti, Ildefonſi, Idiotæ, Anſelmi, & aliorum, quos ibi citauimus: ac proinde, quæ per Apoſtolorum doctrinam ad finem vſque mundi fiunt, ad Virginem quoque qua ratione ipſorum fuit Magiſtra, pertinere, nullus inficiari poterit.

Rupertus. *Ildefonſus.* *Idiota.* *Anſelmus*

Quare Cyrillus hom. 6. in Neſtorium loquens ad Virginem: *Per te,* inquit, *omnis creatura idolorum errore detenta, conuerſa eſt ad agnitionem veritatis, & fideles homines ad ſanctum baptiſma peruenerunt, atque in toto orbe terrarum conſtructa ſunt eccleſiæ. Te adiutrice gentes veniunt ad pœnitentiam.* hæc Cyrillus. Hoc etiam probatur ex Anſelmo, Bernardo, Petro Damiano, Petro Chryſologo, cap. 27. citatis, qui dicunt per Virginem omnia recreata, & reſtaurata.

Cyrillus. *Anſelmus.* *Bernard.* *Damian.* *Chryſolog.*

10. Denique hoc totum abundè confirmatur ex ijs, quæ ſupra cap. 20. diſſeruimus, vbi ex multorum Patrum ſententia, & exemplis ex probatiſſimis Auctoribus deſumptis oſtendemus, ex Virgine tanquam ex diuino throno fulgura, voces ac tonitrua; miracula nimirum, admonitiones ad peccatorum conuerſionem tum blandas, tum terrificas, tonitrua item ad dæmonum furorem, quo in nos debachati conantur coercendum procedere, quibus omnibus, quæ ad nos in Chriſto generandum requiruntur effuſiſſimè, ac cumulatiſſimè exercet, & hoc quidem tantò vniuerſalius (ad omnes enim non tantùm generatim, ſed etiam ſingillatim ſe extendit) tantoque præ cæteris Sanctis efficacius præſtat Virgo beata; quantò eius merita incomparabiliter reliquorum Sanctorum meritis, vt alibi dixi, antecellunt; preceſque eius, pectus, & vbera filio oſtendentis gratiores, magiſque eidem ſunt acceptæ, vt propterea mater omnium meritò ſit prædicanda, cuius maternam curam, atque ſolicitudinem in cunctis neceſſitatibus tum animæ, tum corporis, omnes ad eam piè confugientes experiuntur. Cumque in cœleſti hierarchia poſt filium ſit ſuprema, ad mortales, in ſuis neceſſitatibus iuuandos, interdum Angelos deſtinat, vel Sanctos, quemadmodum teſtatur Angelus apud S. Brigittam in ſerm. Angelico cap. 20. interdum per ſeipſam operatur, & ſuam præſentiam ſuis ſeruis in vita, & in morte, miraculosè exhibet, ut videre eſt in exemplis quæ ſupra attulimus cap. 24.

S. Brigitta.

DEIPARA MATER EST DIVINA gratia pulchra dilectionis, fidei, & ſancta ſpei.

QVoniam verò ea, quibus ſalus noſtra conſtat, ſunt gratia ipſa, & virtutes, quas Theologicas vocant, ideò, vt magis intelliga-

Maria diuina gratiæ mater.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN